

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Gloria mala siue uana z
cum fonte primo

Dic michi, ubi sunt amatores mundi qui ante pauca tempora nobiscum erant?
Nichil ex eis remansit nisi cineres et uermes.
Attende diligenter quid sunt uel quid fuerunt.
Homines fuerunt sicut tu; comederunt, biberunt, riserunt,
duxerunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descenderunt.
Hic caro eorum uermibus et illic anima ignibus deputatur,
donec rursus infelici collegio colligati sempiternis inuoluantur incendiis,
qui socii fuerunt in uiciis,
socii erunt in penis.
Vna namque pena implicat quos unus amor in crimine ligat.

Hugo libro I. de anima.

Si vero dicis, Durus est hic sermo;
non possum mundum spernere, et carnem meam odio habere:
dic mihi, ubi sunt amatores mundi, qui ante pauca tempora nobiscum erant?
Nihil ex eis remansit, nisi cineres et uermes.
Attende diligenter quid sunt, uel quid fuerunt.
Homines fuerunt sicut tu: comederunt, biberunt, riserunt,
duxerunt in bonis dies suos; et in puncto ad inferna descenderunt (*Job. XXI, 13*).
Hic caro eorum uermibus, et illic anima ignibus deputatur,
donec rursus infelici collegio colligati, sempiternis involvantur incendiis,
qui socii fuerunt in uitiis.

Una namque poena implicat, quos unus amor in crimine ligat.

Auctor incertus (Bernardus Claraeuallensis?), *Meditationes piissimae
de cognitione humanae conditionis*, 3.9 (PL 184, col.491A-B).